



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1846

CXLVIII. Bischof Ernst von Halberstadt und sein Capitel genehmigen die
Verbindung der Pfarre zu Gardelegen mit der Propstei zu Stendal, am 16.
Mai 1395.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

borg I marc vnde we van werben seuen lote, wo dicke des to desfer sake behuff sy: vnde worde ennige stad van desse ergenanten steden gekrenket, dar god vore sy, de scal me nach redelgeit vorlichten: vnde desse artikelln scolen nicht wesen wedder de olde wonheit, alle we vs van alder plegen to vor eynen. Met orkund desses briues, dar we alle vnse lutke Ingsegel an hebben laten henghen, Na godes bord dritteyn hundert iar in dem twe vn negentigsten iare, In sente Johannes Baptisten daghe.

Nach dem Originale im Stadt-Archive zu Gardelegen.

CXLVIII. Bischof Ernst von Halberstadt und sein Capitel genehmigen die Verbindung der Pfarre zu Gardelegen mit der Propstei zu Stendal, am 16. Mai 1395.

Ernestus, dei et apostolice sedis gracia Episcopus Halberstadenfis, Honorabili viro Preposito ecclesie collegiate Sancti Nicolai in Stendal nostre diocesis, omnibusque aliis et singulis, ad quos presens nostra pagina vnionis deuenit, Salutem et sinceram in domino caritatem. — Cum — serenissimus princeps felicitis recordationis karolus quartus, quondam Romanorum imperator, bohemie Rex et marchio Brandenburgensis, cum primum predictam marchiam brandenburgensem fuisset affectus, decreuit pro sue et suorum progenitorum ac in dicta marchia brandenburgensi successorum animarum salute Capellam imperialem seu verius collegiatam ecclesiam in honorem sancti Johannis baptiste in castro tangermundis super albeam sitam et in dicto marchionatu antiquo nostre diocesis instaurare de nouo et erigere ad laudem et gloriam dei omnipotentis orthodoxe fideique decus ac per amplius diuini cultus incrementum, sicut ipsum instituit, erexit et de consensu predecessoris nostri immediati auctoritate et nostri capituli consensu redditibus competentibus et annuis attentius dotando decorauit pro canonicorum ibidem secularibus institutis sustentacione congrua, victuque decenti et amictu: Quos eciam ordinauit et voluit per prepositum ut ipsorum prelatum immediatum regi et gubernari, cui etiam obedientiam predicti canonici pro tempore existentes in dicta capella seu collegio debent prestare manuaalem ac reuerenciam exhibere in licitis et honestis, pro ipsius prepositi sustentacione vberiori ac statu tenendo decenciori parrochiam ecclesiam in opido tangermundis predicti marchionatus antiqui, non longe a dicto castro, in quo predicta capella seu collegium situm obtinet, situato, prius prepositure sancti nicolai in stendal canonice vnitam, obtinuit a dicto predecessore nostro immediato de consensu nostri capituli de predicta prepositura in stendal disungi et separari Prepositure vero predictae capelle seu collegii sancti Johannis baptiste vniri et adiungi sicut hodie cernitur vnita realiter et adiuncta sub certis modo et forma, prout in litteris dicti domini karoli et nostri predecessoris de consensu sui capituli desuper confectis lucidius continetur. Promisitque predictus dominus karolus sponsione fidei procurare et ordinare, ut ecclesia parrochialis opidi Gardelege, eciam nostre diocesis predictae, prepositure in Stendal, cuius jus patronatus eciam ad ipsum pertinuit et hodie ad marchiam Brandenburgensem dinoscitur pertinere et pertinet, in restaurum Canonica adiunctione vniretur et sic vnita apud ipsam preposituram perpetuis temporibus commanendam, licet morte preuentus promissum minime perduxit ad effectum. Attendens igitur serenissimus et inclitus princeps Sigismundus, nunc vngarie rex, filius dicti domini karoli et qui sibi in dicta marchia brandenburgensi successit premissa sui patris vota, obligacionem a dicta irrefragibili sponsionis sue sine debito nunc stabilita ad effectum deducere pre-

conceptum et sine valido stabilire, Ordinavit pie et consentit suis patentibus litteris nobis per prepositum in stendal exhibitis, ut predicta ecclesia parrochialis in Gardelege in locum parrochialis ecclesie predicti opidi tangermundis a predicta prepositura in stendal separate et disjuncte, inseparabiliter anectetur et canonica uniretur unione pro ipsius prepositi sustentatione congrua et status decore. Supplicavit quoque nobis predictus prepositus in stendal una cum capitulo suo, ut nos dignaremur, prout nostro incumbit officio, predictam parrochialem ecclesiam in Gardelege prepositure in stendal predictae anectere et unire, prout prius prepositure eidem parrochialis ecclesiae in tangermundis fuit unita et annexa et omni iure, forma et modo in litteris predicti Sygismundi, marchionis Brandeburgensis, nunc regis Vngarie, descripto et contento filo clariori, capituli nostri etiam predictae unioni et annexioni expresso consensu accedente. Nos vero Ernestus, episcopus halberstadenfis predictus, reputantes petitionem dicti domini prepositi ac sui capituli — ecclesiam in Gardelege predictam prepositure in stendal predictae unimus et annectimus eo modo, via, forma et omni iure nostra auctoritate ordinaria in hiis scriptis cum decreti nostri interpositione et in restaurum parrochialis ecclesiae in tangermundis prius dicte prepositure in stendal unite et annexae, ita ut in antea pro uno beneficio habeatur. Et quociens de cetero vacaverit seu vacare contigerit, dominus marchio brandeburgensis, qui pro tempore fuerit et ad quem ius presentandi seu iuspatronatus pertinet et dinoscitur pertinere, presentabit personam abilem et idoneam decano et Capitulo in stendal unica presentacione unoque contextu ad preposituram in stendal et ecclesiam in Gardelege predictas, tamquam ad unicum et inseparabile beneficium, prout ad eos spectat, qui quidem decanus et capitulum presentatum abilem repertum et idoneum in dictam preposituram instituent et in corporalem ipsius inducant possessionem stallum in choro sibi debitum assignando, Archidiaconus vero loci ipso abili etiam reperto et idoneo et proclamacione debita premissa in dictam parrochialem ecclesiam instituet et sibi cura ipsius populi commissa faciet in corporalem predictae ecclesiae induci possessionem, cui debitam et consuetam obedientiam manualement prestabit, observandam duntaxat ratione parrochialis ecclesiae antedictae et sibi de suis synodalibus aliisque iuribus debitis, ut suo archidiacono, et nobis et nostris successoribus episcopis halberstadenfis de nostro cathedratico seu procuracione synodosque nostras sanctas quociens occurrerint visitando aliisque iuribus dioecesanis tamquam suo diocesano sicut alii ecclesiarum parrochialium rectores et curati dicte nostre dioecesis ratione predictae parrochialis ecclesiae in Gardelege exacta diligentia providebit, quod dicte nostre ecclesiae Halberstadenfi nobisque et dictis nostris successoribus episcopis Halberstadenfis presentibus inviolabiliter referuamus, et etiam personalem residenciam in dicta ecclesia parrochiali faciet per maiorem partem anni cuiuslibet infuturum decurrentis, prout ad hoc ex canonis precepto tenetur astrictus. In quorum omnium et singulorum Robur et evidens testimonium premissorum presentes litteras sigilli nostri fecimus appensione communiri. Et nos Albertus decanus et Capitulum dicte ecclesiae Halberstadenfis recognoscimus, quod predictae unioni ordinacioni omnibusque et singulis supradictis consentimus ac etiam in dei nomine presentibus effectualiter consentimus. In cuius quidem consensus nostri adhibiti signum sigillum dicti nostri capituli una cum sigillo — episcopi — presentibus duximus apponendum. Datum Halberstad Anno domini M^o. CCC^o. nonagesimo quinto, in capitulo nostro generali in Rogationibus.

Nach dem Orig. im Breslauer Universitäts-Archiv. — Vgl. Hauptth. I, S. V. S. 149.